tibus. Et ꝑ Bern̄. in. c. ij. de matrimonio. cō-
tra. con. interdic. eccle. in. iiij. glo. ⁊ tenet̃ ꝙ ſic.
Et ꝓbat Jo. an. in. c. cū appellatōibꝰ. in no-
uella. ꝑ plēs rōes. vt ibi patet ¶ Et eſt aduer
tendū ꝙ aliquãdo iudex defert appellatōi. ali
quãdo ps appellata. Sꝫ ob iudicialē reuerē-
tiam iudex debet appellationē recipe. Pars
vero dicit̃ illã approbare appellatōnē. vt no.
de ap. interpoſita. In poteſtate ergo eſt alte-
rius. ſcꝫ iudicis ⁊ appellãtis approbare ap-
pellationē. Un̄ appellatꝰ etiã iudice inuito
poteſt eã approbare ⁊ ecōtra. Iudex pt̄ eã ad
mittere q̄ꝫuis diſpliceat appellãti. Et ſic in h
equiparãt̃ iudex ⁊ appellatꝰ. Sed iudex ⁊ ap
pellator etiã equiparant̃ in vno. videlicet in ter
mino aſſignãdo. vt in. c. ꝑſonaſ. ⁊ in. c. oblate
de appel. Sed in poteſtate ſoliꝰ appellatoris ē
an appellet vel nō. ⁊ ſub qua forma. Caueat
tñ ne erret. vt in. c. cordi. eo. ti. li. vj. In poteſta
te aūt ⁊ arbitrio ſoliꝰ appellãtis ē an velit pri-
cipale negociū tractari vel non. vt in. c. cordi.
iam alle. Et effectus delatōis eſt ꝙ ꝑ eam ab
dicat̃ iuriſdictio a iudice a quo ⁊ in ſupiorē
ad quē trãſfundit̃. vt in. c. cū appellatōibꝰ. ſe
pius alle. Effectus vͦ aſſignatiōis termini ē
ꝙ ſi in termino appellãs nō ꝓſequit̃ ſuã ap-
pellationē. inducit̃ renūciatio ⁊ deſertio ap-
pellatōnis. ⁊ actꝰ a quo emiſſa eſt appellatio
manet ratꝰ. vt in. c. cū ſit. ⁊ in. c. rep̄henſibilis.
⁊ in. c. ſepe. de ap. et terminꝰ hmōi ſtatuit̃ vel
ad iter arripiēdū. vl' ad pñtãdū ſe ſupiori ad
quē appellatū ē. vt q in. c. ꝑſonas. ī glo. ij. ⁊ ſup
ea. Ipſiꝰ tñ termini diuerſi ſurgūt ⁊ cauſan
tur effectꝰ. ſm ꝙ ipiꝰ aſſignatiōe aliq̄ cōcur-
rūt vl' nō. Nã aliqñ appellatio ſolū recipitur
a iudice ita ꝙ cū aſſignatiōe termini ↄcurrit

delatio iudicis. Aliqñ ſolū approbat̄ a parte. Aliqñ cōcurrit vtrūqȝ. q2 recipit̄ a iudice. ⁊ a parte approbat̄. Aliqñ neutrȝ fit. q2 nec recipitur nec approbat̄. Si ergo appellatō recipit a iudice. vel etiā ſi approbat̄ a parte. tunc terminus hmōi habet vim pempt̄. ita ꝙ nō veniētem ꝯſtituit cōtumacē. ſic ꝙ in articulo appellationis cōtra eum vt cōtumacē poteſt ꝓcedi. Et tenet̄ mittere ꝓcuratorem ſufficientem ſaltē ad articulū appellationis expediēdum. vt in. c. ſepe. ⁊. c. Nicolao. de appel. Idē ⁊ fortius vbi vtrūqȝ cōcurrit. ſcȝ receptio iudicis ⁊ approbatio ptis. Sed vbi neutrū interuenit quia nec recipit̄ a iudice appellatio. nec approbatur a parte. tūc ſufficit mittere ꝓcuratorē ad impediendū ⁊ ꝯtradicēdū tantū. nec ꝓcedere in articulo appellationis ꝯtra abſentem vt no. in dicto. c. Nicolao. licet gloſator ibi videatur tenere contrariū. Si autē recipitur ⁊ approbat̄ appellatio. ⁊ cū hoc petit appellatus ꝙ veniat appellans inſtruct⁹. tūc debet mittere procuratorē inſtructū ſufficientē. nedum ad articulū appellatiōis ſȝ etiā ad cauſā ꝓncipalē. vt in. c. cordi. de appel. li. vj.

## Forma apoſtolorum qui dimiſſorij dicuntur eſt.

Sanctiſſimo in chriſto patri ac domino domino Paulo diuina ꝓuidētia ſacroſancte romane ac vniuerſalis eccleſie ſūmo pōtifici. Epiſcop⁹ talis ⁊c. vel talis officialꝭ eius deuot⁹ fidelis ac obediēs deuota pedū oſcula beatorū. Nouerit ſanctitas veſtra ꝙ cū in cauſa que inter A. ex vna. ⁊ B. ex altera parte de ⁊ ſup domo vel fundo tali. ſeu debito tali corā me in iudicio vertebat̄. ſententiā ꝓdicto A. ⁊ cōtra Bernardū prefatū tuli diffinitiuam. vel interlocutoriā ſic vel ſic ꝓnunciādo ſuper exceptiōe tali. Et quia ab huiuſmodi ſentētia diffinitiua vel interlocutoria idē B. ad. e. v. ſ. ad ſanctā ſedem apoſtolicā appellauit. Idcirco ipſum B. appellantē a meo iudicio dimitto ad. v. ſ. examē. ex his litteris meis dirigo ſibi litteras hmōi ſigillo meo ſigillatas concedens. In teſtimoniū ꝓmiſſorū. Datū ⁊c. Et hoc cū appellatū eſt ad papam Si vero ad inferiorem puta ad epiſcopum vel archiepiſcopū ſcribatur ſub eadē forma. verbis competēter mutatis. ſcribendo. Reuerendo vel reuerendiſſimo ⁊c. Aliqui non dirigunt ſuperiori. ſed ſcribunt Uniuerſis. Alij breuiter ſic concludendo dicūt ad appellantem verbo. vel in cedula nuda ſcribunt ī hec verba vel ſimilia. Quia tu a me appellaſti a tali ſententia mea diffinitiua vel interlocutoria. Ideo ab obſeruatōe mei iudicij his apoſtolis te dimitto. ⁊ ad eius ad quem appellaſti examen dirigo. Et ſi volunt ſibi ſtatuere terminum. iungit trium vel quattuor menſium ſpacium. Uel diem talē ſtatuo ꝓ termino ad iter accipiendum pro appellationis tue proſecutione facienda. vel ad preſentandum te conſpectui ſedis aplice vel alteri⁹ ſuperioris ad quē appellaſti ⁊c.

## Forma apoſtolorū reuerentialiū poteſt eſſe talis

Sanctiſſimo vel reuerendo ⁊c. vt ſupra. Talis actor vel talis reus in cauſa tali que inter ipſum vel talem ex vna. ⁊ talem parte ex altera de ⁊ ſuper tali re ⁊ eius occaſione ī iudicio coram me vertebatur. a ſententia diffinitiua vel interlocutoria ⁊c. ad ſanctitatem veſtram vel reuerentiam appellauit. Et quāuis appellatio ſua mihi friuola videatur. tamen ob reuerentiam veſtram eidem ſue deferro appellatio. ſtatuendo ſibi terminum. ⁊c. vt ſupra.

## Apoſtoli refutatorij poſſunt dari ſub hac forma

Sanctiſſimo vel reuerendiſſimo ⁊c. vt ſupra. Nouerit ſanctitas vel reuerentia veſtra ꝙ talis a me ⁊ interlocutoria ſententia in tali cauſa que coram me inter ipſum ⁊ talē ſuper re tali vertebatur. ad. e. ſe. v. ſeu ad vos appellauit. Et quia huiuſmodi appellatio friuola ē ⁊ fruſtratoria ex tali cauſa. ideoqȝ cū huiuſmodi appellationibus friuolis nec iuſ deferat nec ſit ei per iudicem deferendum. eidem appellationi non duxi deferendum neqȝ defero. ⁊ hos aplos refutatorios ſibi tradidi atqȝ trado. In quorum teſtimoniū ⁊c. vt ſupra. Et ponitur iſta forma de interlocutorijs. quia quando a diffinitiua appellatur tunc neceſſe eſt deferri. quia ius defert. de iureiuran. venientes. de appel. non ſolum. li. vj

niſi in caſib⁹ ibi no. in glo. vt quia. Judices
modernis tempoꝛib⁹ raro dirigunt tales lit
teras ad ſuperioꝛē. ſed facile ſe ꝺ iſtis apoſto
lis expediētes dicūt verbo ad appellantē vl' e⁹
pꝛocuratoꝛē ſub hac foꝛma.

Appellationi tue ob reuerentiā ſedis apo
ſtolice vel talis ſuperioꝛis ad quē eſt appella
tum deferim⁹ ſeu defero. ⁊ talē tibi terminū
pꝛefigo ad appellationē tuā pſequendā. Uel
quia appellatio tua videt̄ nobis friuola. ideo
ei nō deferimus. hāc reſponſionē tibi p apo
ſtolis refutatoꝛijs cōcedentes. Et hoc faciūt
iudices p notariū ſcribi loco apoſtoloꝝ. Et
ſcribit notarius ſi vult appellationē ⁊ apłoꝝ
dationē in eadem carta ſeu in vno inſtrumē
to. ponēdo in fine inſtrumēti appellatōis foꝛ
mam. de qua ſupra. Jtē anno inditione pō
tificatus qbus ſupra. die tali. mēſe tali. Coꝛā
iudice p̄dicto ac in mei notarij publici ac te
ſtium infraſcriptoꝝ p̄ſentia pſonaliter cōſti
tutus p̄dictus N. appellans vel talis ipſi⁹ p
curatoꝛ. apoſtolos p pꝛedictū dn̄m iudicem
ſuper appellatione ſua p̄dicta ſibi dari cū in
ſtantia humiliter poſtulauit. Cui ipe iudex
dando apoſtolos in hec verba reſpondit vel
ſcriptā cedulā tradidit. ⁊ in ea cōtenta p apo
ſtolis ſibi dedit. cui⁹ tenoꝛ talis eſt ꝛc. Et ſcri
bit tenoꝛē ſeu foꝛmam apoſtoloꝝ. ⁊ ſubiūgit
poſtea. Sup quib⁹ ꝛc. vt ſupra in inſtrumē
to appellationis. Si autē iudex terminū da
tum vel dandū ad recipiēdū apoſtolos pꝛo
gat in aliū diē. an tūc iterato appellans tenea
tur cōparere ſeu apoſtolos petere. vl' ſi reſpō
det iudex apoſtolos ſe datuꝝ nullo certo ter
mino pꝛefixo. qd iuris ſit legit̄ ⁊ no. in clemē.
q̄uis rigoꝛ. ſupra ſepi⁹ alleg. Et ita ſunt iſta
expedita que ſequunt̄ ſniam qn̄ ab ea appel
latur. quia tūc ſnia nō debet exequi. cū p ap
pellationē ſit ſuſpenſa. vt in dicto. c. veniētes.
de iureiurā. Jmo quidq̄d poſt ſniam etiam
ante appellationē p iudicē vel aduerſariū fit.
totū reuocabit̄ p modū attemptati. De quo
plene in. c. nō ſolū. ſupra alleg. ⁊ ſic trāſit non
in rem iudicatā. Si vero a ſnia nō fuerit ap
pellatū. ⁊ ſic tranſiuit in rem iudicatā. tunc
ipſa ſnia debet exequi. al's parū pdeſſet ſentē
tias dari ſi executioni non demādarent̄. vt ꝺ
re iudi. cum aliquibus. Aduertendū ta
men q̄ ſunt quedā ſententie que nunq̄ tran
ſeunt in rem iudicatā. vt ſunt ſentētie quarū
obſeruantia induceret periculū anime. de re
iudi. tenoꝛ. ⁊. c. conſanguinei. ꝺ fri. ⁊ male. fra
ternitatis. cum ſimilib⁹. Quedam ſunt que
ſtatim tranſeunt. vt eſt ſententia excommu
nicatōnis. de appella. paſtoꝛalis. de ſenten. ex
commu. per tuas. que tamen pꝛopꝛie nō eſt
ſententia. Et hoc verum q̄ non ſtatim in rē
iudicatam quo ad priuatā vtilitatem. Sed
quo ad publicam vtilitatē tangentem peri
culum animarū nunq̄ tranſit. ar. de except.
pia. libꝛo. vj. Nam ſemper auditur cōquerēſ
de iniuſta excōmunicatione. de offic̄. delega.
cum contingat. Sunt etiam quidam caſus
in quibus diffinitiua ſententia ſtatim tran
ſit in rem iudicatā. que notat̄ de re iudica. ſu
per Rubꝛica. Quedam ſententie tenent me
dium. quia tranſeunt in rem iudicatam. ſed
non tamen ſtatim. ſed poſt decē dies. Et iſtō
regulariter obtinet in ſententijs. pꝛedicta ex
trema ſunt caſualia. notat̄ de re iudic̄. ſuper
Rubꝛica. ⁊ in. c. conſanguinei. Et hoc quan
do ſententia tenet licet ſit iniuſta. Secus ſi eſ
ſet nulla. quia tunc non tranſit. de ſentent̄. et
re iudic̄. c. j. Et modos nullitatis ponit Guil
helmus in ſpecu. de ſenten. pꝛola. §. iuxta pꝛo
poſitionis. Et dicit̄ ſententia nulla. quia lata
eſt contra ius cōſtitutiōis expꝛeſſe. Jniuſta
dicitur que eſt lata ꝯtra ius litigatoꝛis. Nul
la tamen non tranſit. iniuſta ſic vt dictū eſt.
Diſtinguitur tamen. quia quandoq̄ ſentē
tia eſt nulla. nec ſeruatur. vt ſi contra ius cō
ſtitutionis eſt lata expꝛeſſe. Quandoq̄ eſt
nulla. ſed ſeruatur donec de nullitate conſtet
vt ſi eſt lata per falſos teſtes ſeu falſa inſtru
menta. quia iſta eſt nulla ī veritate. ſed eſt ali
qua in opinione. de quo de excepti. cum ve
nerabilis. Quandoq̄ nulla eſt ⁊ tranſit ī rē
iudicatam poſt triginta dies. vt ibi not. de q̄
per Oſtieñ. in. c. cum Bertold⁹. de re iudica.
Sententia ergo que tranſiuit in rem iudica
tam in actione perſonali demandabit̄ execu
tioni poſt tempus quadrimeſtre. quia iſtud
tempus condemnatis in perſonali actōe cō
ceditur a iure. vt in. c. querenti. de offic̄. deleg.

Poteſt tamen hmōi temp⁹ artari vel plon
gari per iudicē ex cauſa. ſine cauſa hoc nō pt.
Alias ſi artauerit ſine cauſa ſupplebitur a le
ge. vt ibi notat. ⁊ in ſpecu. de ſent. excom. §. vi⸗
dendum. in principio. Et fiet executio in hu⸗
iuſmodi actione perſonali iſto modo ſeu or⸗
dine. Quia precipiet reo ꝙ pecuniā ī qua cō⸗
demnatus eſt actori ſibi ſoluat. Et an ipe cō
demnatus ad ipſius pecunie ſolutionē preci
ſe cogi debeat victore inſtāte ⁊ petēte. recitat
Joh. and. ibi in addi. ſpecu. ꝙ Guil. in iſta q̄
ſtione tenuit cōdemnatū. ſi habꝫ in pecunia
ad illud teneri. Si vero nō habet vict⁹ in pe⸗
cunia vnde ſatiſfaciet executio fiet in reb⁹ ipi
us. Et pmo mobilibus. videlicet vt capiant̄
mobilia ſi poſſidet. Si mobilia non habꝫ. re
curritur ad imobilia. Si nec immobilia poſ
ſidet peruenit̄ ad nomina ſiue iura. ſcilicꝫ ad
ipſi⁹ cōdemnati debitores. ſic tamē ꝙ nomi⸗
na debitor debitū confitentiū ⁊ nō neganti⸗
um pignora capiant̄. de quo in ſpe. de ſentē.
exec. §. ſequit̄ videre. In actione reali ſtatī
fit executio poſtq̄ꝫ ſentētia tranſiuit in rē iu⸗
dicatam. ſcꝫ ſi regulariter poſt. x. dies. Unde
ſi actū eſt ad fundū vel domū ꝛc. mittendus
eſt actor in poſſeſſionē eiuſdeꝫ rei. ſ. fundi vel
domus. de re iudi. cum Bertold⁹. in fine. nec
ſufficit dare pignora. ſed requirit̄ corporalis
poſſeſſionis traditio. vt in. c. cum aliquibus
d re iudi. Et quomodo iudex mandat execu⸗
tori ſuo ꝙ eandē rē actori adiudicatā ſeu ei⁹
rei veraꝫ ⁊ corporalē poſſeſſionē det ipi acto
ri. Guil. ponit formā in de ſen. execu. in dicto
§. ſequitur Quia preceptū huiuſmodi ſcribi
debet in actibus per notariū. Talis iudex ta
lis curie exequendo ſententiā diffinitiuaꝫ in
cauſa tali per eū latam vel per talem inferio⸗
rem iudicē vel ipſius delegatū latam manu
talis notarij ſcriptā vel ſubſcriptam. ac ipſi⁹
iudicis ſigillo vel p̄dicti notarij ſigno ſigna⸗
tam ⁊ ſigillatā. Et precepit ⁊ iniunxit tali exe⸗
cutori ſeu curſori ſiue nuncio ꝙ rem talē tali
actori per ſententiā predictā adiudicataꝫ. ac
eius nudam ⁊ poſſeſſionē corporalem det et
aſſignet eidē victori predictum. N. reuꝫ amo
uendo ab eodem. Acta ſunt hec ꝛc.
Uel fit preceptū iudicis per litteras dirigen⸗
das executori. Et poſſunt tunc ſcribi ſub hac
forma.
Judex tali actori ꝛc. Salutē in domino.
Pridem orta inter talē actorem ex vna par⸗
te. ⁊ reum de et ſuper tali fundo vel domo ex
eius occaſione parte ex altera. materia que⸗
ſtionis ⁊ cauſa hui⁹modi intentata ⁊ intro⸗
ducta in iudicio coram vobis. Nos in cau⸗
ſa eadem iure ⁊ iudiciario ordine obſeruatiſ
procedentes. Sententiā tulimus diffinitiuā
predicto actori domū petitam per eundē ad⸗
iudicando. ac prefatū reum ad traditionem
ſeu reſtitutionē domus huiuſmodi. ⁊ in ex⸗
penſis litis cōdemnando prout in ipſa ſentē
tia noſtra plenius cōtinetur. Uerū quia pa
rum prodeſt ſententias ferre niſi executioni
demandetur. Idcirco pro parte memorati
actoris humiliter requiſiti ad predicte ſentē
tie executionē duximus procedendū. Uobiſ
ergo in virtute ſancte obediētie firmiter ⁊ di⸗
ſtricte p̄cipiendo mandam⁹. quatenus p̄fa⸗
tum. N. actorē in corporalē ⁊ realem p̄dicte
domus ſibi vt prefertur adiudicate poſſeſſio
nem inducatis. ac ipſam domū ac eius poſ⸗
ſeſſionem tradetis ⁊ aſſignetis eius detento
rem abinde remouendo. Monentes eundē
N. reum quē noſ preſentib⁹ peremptē. mone
mus. vt infra ſex dierū ſpacium a notificati⸗
ne preſentiū ſibi facta computandū. quorūꝫ
duo pro primo ꝛc. ab eiuſdē domus detentio
ne ⁊ occupatōne deſiſtens. eam prefato acto
ri vacuam ⁊ liberam tradat. ⁊ ad ipſius cor⸗
poralem ⁊ pacificam poſſeſſioneꝫ illum ad⸗
mittat. ſicqꝫ ſummā talem florenorum ſeu li
brarum denariorū talium pro expenſis per
eum in lite predicta coram nobis factis reſti
tuat ac perſoluat. et alias predicte ſententie
noſtre pareat humiliter ⁊ intendat. Alioq̄n
contra ipſum per cenſuram eccleſiaſticam ⁊
alia iuris auxilia. prout de iure poterimus.
procedemus. Diem vero ꝛc. vt ſupra in for⸗
mis aliorum mandatorum. Et ſi executio il
lius preterti iudicis fit per curſorem ſeu nū⸗
cium habebit referri iudici diem ⁊ formaꝫ ex
ecutionis. Et quidquid factum eſt per eum
⁊ huiuſmodi relatio ſcribatur in actis. vide
licet.

N.talis curie curſor ſeu executor ſiue nun
cius retulit ſe de mādato talis iudicis ī vim
executionis ſnīe talis.in tali cauſa lata de ta
li re dediſſe ⁊ aſſignaſſe tali victori nudam et
corporalē poſſeſſionē talis fundi eidē actori
ꝑ eandē ſniam adiudicati quā talis victꝰ de
tinuit ⁊ occupauit

Utrū aūt delegatꝰ ordinariꝰ poſſit exeq
ſniam ſuam no.in.c.ſi qͣs cōtra.de foro cōpe
tē. Uel an hoc poſſint minores iudices.no.ī
.c.cū eccliaꝝ.de offi.ordi.cū remiſ. Et qͣ ſunt
opiniōes.poteſt dici ꝙ delegati ordinarij eti
am alij minores iudices hoc poſſunt ꝑ cēſu
ram eccleſiaſticā que eſt ſimplicis iuriſdicti
onis.ſed nō ꝑ traditionē poſſeſſionis quod
eſt mixti imperij. Judices tamē indifferēter
exequunt̄ ſnias ſuas ꝑ excōmunicationē et
ꝑmiſſionē. Et delegatꝰ ꝑncipis exeq̄t̄ ſniam
ſuā infra annū.poſt annū expirat totaliter
ipſius poteſtas. Jta etiā ꝙ excōmunicatū ꝑ
eum infra annū anno elapſo nō abſoluit.vt
legit̄ ⁊ no.de offi.dele.querēti. Judices tamē
exequent̄ iudicialiter ſnias ſuas ⁊ ꝑ excōmu
nicationē ⁊ ꝑmiſſionē. Ex qͥbus cauſis vel ꝑ
quas exceptōes impediri poſſit executio ſen
tentie.plene no.in.c.doctor.de re iudi. Et ī ſpe
cu.de ſen.excō.§.vlt̄. Sed quo iure petat̄ exe
cutio.no.in ſpecu.eo.ti.§.breuiter. Et dicit ibi
Guil.ꝙ victor ibi habet duo auxilia ꝑ q̄ exe
quitur ſniam.ſcꝫ officiū iudicis ⁊ actionē iu
dicati.non aūt ꝑ actionē in factū. Et in hͦ dic̄
errare multos aduocatos.⁊ procedit̄ ſūma
rie ſine datione libel.⁊ lit.ꝯteſt.de quo dicen
dum eſt vt ibi. Licet autē ſnia tranſiuit in rē
iudicatā.⁊ ſic facienda ſit ipſiꝰ executio.vt di
ctum eſt. Uictꝰ tamē qn̄qꝫ releuat̄ remedio
ſupplicatōis.vt in.c.ex litteris.de reſti.ī integ̃.
De quo in ſpe.de ſupplicatōibꝰ.ꝑ totū. Uel
beneficio reſtitutōis in integrū.vt.e.ti.ꝑ totū
Et tunc ex quo ſic impetrat̄ ꝑncipaliter ꝓce
detur in cauſa reſtitutōis ī integꝝ ordine iu
ris obſeruato.vt de offi.iudi.c.ij. Et iſta cau
ſa tunc finiri debet ⁊ expediri infra quadrien
nium.vt in clemē.vnica.de reſti.in inte. Et li
bellos in materia reſtitutōis ponit Guil.in
ſpe.parte.iiij.de reſti.ī integ. Ra ro hic in par
tibus practicat̄.igit̄ obmitto. Et qꝛ vt dictū
eſt aliquando reus non parēs ſnīe excōmu
nicatur.⁊ aliquando ꝑ ꝯtumacia. qꝛ citatus
non cōparet.vt viſum eſt ſupra in principio
proceſſus. Et quia volens parere ⁊ abſoluti
onem petēs debet abſolui.vt in.c.cū ꝯtingat.
de offi.dele. Ideo vt habeant̄ forme abſoluti
onum ſciendū.ꝙ ſi qͣs eſt excōmunicatꝰ pro
cōtumacia.ſi vult cauere de parendo iuri eſt
abſoluendꝰ ſub forma iuris. Si offert cauti
onem de parendo iuri ⁊ ſoluēdo expēſas rō
ne ſue ꝯtumacie ꝑ aduerſariū factas.l.de appel.
qua fronte.v̄.ſane.de iudi.c.j. Et hoc ſi ſentē
tia eſt iuſta.qꝛ ſi eſt iniuſta debꝫ abſolui ſine
difficultate.ꝺ ſen.ex.cū medicinal̄.l.vj.§.ſi qͣs
cum ꝯcord̄. Et intelligendū eſt etiā quando
excōmunicatꝰ eſt ꝑ ꝯtumacia vel offenſa du
bia. Nam ſi qͣs eſt excōmunicatꝰ ꝑ ꝯtuma
cia vl̄ offenſa notoria non abſoluit̄.niſi ſatiſ
factione ꝑmiſſa.vt.c.ex pte.de ver.ſig.quo ad
offenſam manifeſtā. De manifeſta cōtuma
cia probat̄.vt in.c.venerabilibꝰ.in.§.ſecus.de
ſen.excom.li.vj.

## Sequitur forma abſolutiōis ſub forma iuris

N.talis iudex.⁊c. Rectori tali ſeu plebano
ſalutē in domino. Quia talis excōmunica
tus a nobis ꝑ ꝯtumacia ad inſtantiā tal̄ pa
ratum ſe offert ſtare iuri coram nob̄. Unde
ipſum ab hmōi excōmunicatōis ſnīa abſol
uimus ī dei nomīe in his ſcriptis. Et diē ta
lem in quo ꝑdicto actori ſatiſfaciat ⁊ iuri pa
reat corā nobis ſibi ꝑ termīo ꝑempt̄.aſſigna
mus. Quare vob̄ mandamꝰ.quatenꝰ eun
dem.N.ſic abſolutū publice nūcietis. Volē
tes autē predictū terminum actori memora
to tempeſtiue intimare vel nunciare. Datū
⁊c. Uel breuius ſic

Officialis vel iudex talis tali plebano ſa
lutem in dn̄o. Quia talis excōmunicatus a
nobis ꝑ cōtumacia ad inſtantiā talis para
tus eſt die ſeu feria tali ſtare iuri corā nobis.
vnde ipſū ſub forma iuris abſoluimꝰ. Man
damus vob̄.quatenꝰ eundē.N.ſic abſolutū
publice nuncietis.⁊ predictū terminū volu
mus actori mature nūciari. Datū ⁊c. Et iſta
forma corā ordinario ſic frequētatur. In ali
qͥbus locis abſoluit̄ excōmunicatꝰ ꝑ iudicē

a vinculo excōmuīcatōis ꝛ remittit̄ ad ſacer
dotem ad recōciliandū ꝑ peccato inobedien
tie ꝑ quo fuit excōmunicat⁹. Et hmōi recon
ciliationis formā ponit Guil. in ſpe. de ſentē.
pla. in v̄. debet aūt fieri abſolutio cū pſalmo
penitētiali. Poſſit etiā forma abſolutiōis ex
tendi ꝛ dilatari narrādo pceſſum habituꝫ et
ꝯtumacie qualitatē ꝛ alia. ſicut faciūt quidā
delegati ſub hac vel cōſimili forma

¶ N. ꝑpoſit⁹ vel decan⁹ eccleſie talis iudex
delegat⁹ ꝛc. Uniuerſis ꝛ ſingulis prepoſitis.
decanis. ſcolaſticis. cantorib⁹. theſaurarijs.
hebdomadarijs. plebanis. vicarijs. altariſtiſ
ceteriſqꝫ diuinoꝝ rectorib⁹ ꝛ vices eoꝝ tenē
tibus ſeu gerentib⁹. clericis ꝛ notarijs publi
cis quibuſcunqꝫ p talē ciuitatē ꝛ dyoc. Ma
gunt. ac alis vbilibet cōſtitutis q̄ ꝑſentib⁹ fu
erint requiſiti Salutē in domino. ꝛ mādatiſ
noſtris imo verius apoſtolicis firmiter obe
dire Cū in cauſa que inter talē actorē ex vna
parte. ꝛ talem reū pte ex altera de ꝛ ſup tali re
vel debito vertit̄ corām nobis. ꝛ ꝑdict⁹ actor
ꝑfato reo libellū in ſcriptis obtuliſſꝫ. Nos ei
dem reo diem talē ad r̄ndendū eidē libello. vl'
exceptiones dilatorias ſibi forſitan cōpeten
tes ꝑponendū p termino peremptorio duxi
mus aſſignandū. Sed q̄a in termino hmōi
idem re⁹ minime cōparuit p ſe vel reſpōſaleꝫ
ꝛ exceptiones aliquas ꝑponere aut predicto
libello r̄ndere ꝯtumaciter nō curauit. Idcir
co idem N. re⁹ p ꝯtumacia hmōi monitiōe
ꝑmiſſa p nos fuit ꝛ eſt excōmunicatōis vin
culo innodat⁹. Nunc aūt reus ipſe ſe repſen
tans corā nobis petijt humiliter ꝛ deuote ab
hmōi excōmunicationis ſnīa ſe abſolui offe
rens ſe iudicio ſiſti ſeu de parendo iuris cau
tioni. etiā ꝑſtās ꝛ dicens ſe paratū pti aduer
ſe ſatiſfacere congrue de expēſis. Un̄ citato
adhuc ipſo aduerſario. ꝛ ꝑſente vel ꝯtumaci
ter abſentāte. ac recepto ab ipſo excōmunica
to ꝑus iuramento ſm̄ formā iuris de paren
do mandatis eccleſie. ꝛ cōgrua faciēda ſatiſ
factione expenſaꝝ eū ab hmōi excōmunica
tiōis vinculo abſoluim⁹ ꝛc. vt ſupra. Et cau
telam de cuſtodiēda ꝛ reſeruāda abſolutiōe
dat gloſa in. c. ꝑpoſuit. de cle. excōmu. miniſ.
Et Guil. in ſpe. de ſen. plat. §. nūc aūt. v̄. abſo
lutionē aūt. Dū vero excōmunicat⁹ pro debi
to vel p re iudicata. vel p crimine vel offenſa
manifeſta ſatiſfecit. tunc ſimpliciter abſolue
rit ſub hac forma

¶ Forma abſolutionis ſuper debito vel re iudicata

¶ Officialis ꝛc. Quia talis excōmunicat⁹
p re iudicata vel p tali manifeſta offenſa ad
inſtantiā talis de hmōi iudicato vel offenſa
ſatiſfecit. Idcirco eū abſolutionē petentē ab
ſoluim⁹ in dei noīe in his ſcriptis. Mandā
tes ꝛc. vt ſ. De abſolutiōe ad cautelā quō ꝛ q̄
liter fiat. no. in. c. aplicē. de excep. ꝛ in. c. ſolet. d
ſen. excō. li. vj.

¶ De proceſſu qui fit ſimpliciter et de plano

Uiſum eſt ſupra de
pceſſu ordinario q̄ in cauſis regu
lariter obſeruat̄. Sꝫ eſt q̄dam ſpeci
alis pceſſus q̄ obſeruat̄ quādo iudex ſimpli
citer ꝛ de plano ſine ſtrepitu ꝛ figura iudicij
pcedit. Et q̄s ordo tūc ſeruand⁹ ſit tradit in
clemē. ſepe. de ver. ſig. q꞉ libell⁹ neceſſario nō
offert̄. Eſt tn̄ dāda petitio ſummaria in ſcri
ptis. vel faciēda verbo ꝛ in actis redigenda.
Itē pcedet̄ ſine litis ꝯteſt. ac ſine cōcluſione.
que tria in pceſſu ordinario ſunt de ſubſtan
tia. vt ibi dictū eſt. Poteſt etiā ferre ſnīaꝫ dif
finitiuā ſtādo qd in alijs nō poſſꝫ. vt etiā ibi
no. Et valet citatio ad ſnīam audiendā etiā
nō pempt. que alis ſufficiēs non eſſet. Item i
iſto pceſſu fortius q̄ꝫ in alio debet iudex am
putare materiā dilationuꝫ. refrenare iurgia
partiū ꝛ teſtiū multitudinē. Et pcedere pt tē
pore feriarū. ꝛ in fauorē hoim introductoꝝ
Et ita ſunt plura in h̄ pceſſu ſpecialia. ſcꝫ. xj.
vel. xij. vt no. in illa cle. ſepe. de ver. ſig. in glo. j.
Et pceſſuꝫ hmōi aliq̄n iudex tenet̄ obſerua
re. aliq̄n poteſt ſi vult. q꞉ ſi ꝑnceps mādat ſic
pcedi vt faciat in ꝯſeruatorijs ſtudioꝝ. tunc
ita iudex tenet̄ pcedere. Ualet tn̄ pceſſus ſi
ordo iudiciari⁹ ptibus oīno nō ꝯtradicenti
bus fuerit obſeruat⁹. vt ſepe. alleg. Sꝫ poteſt
iudex ſic pcedere ſi vult. ſcꝫ in cauſis pulegi
atis a iure ſup tali pceſſu. Et iſte ſunt q̄ttuor
ſpecies cauſe. beneficiales. matrimoniales.

decimaꝝ ⁊ vſuraꝝ In iſtis relinq̄t poteſtati
iudicis ſi vult ꝓcedere ſimpl'r ⁊ de plano. vel
ordinē iudiciariū obſuare. vt in cle. diſpēdio
ſam. de iudi. v̄. de ƀan glo. nō licet. Et q̄a pōt
iudex vt dictū eſt i iſtis cauſis obſeruare or:
dinē ⁊ ſic libellū exigere. Qualit̄ ergo in cau
ſa bn̄ficiali formand⁹ ſit libell⁹ videam⁹ Et
poteſt ſic ꝯcipi

## Forma libelli ī cauſa beneficiali

Corā vobis honorabili viro dn̄o audito
re vl' iudice. ꝓponit ꝓcurator ꝓcuratorio no
mine diſcreti viri A. canonici eccl'ie beate ma
rie v̄ginis Erford. Magū. dyoc. ꝯquerēdo
in iure aduerſus B. clericū ſe aſſerentē dyoc.
eiuſdē ⁊ quēlibet aliū ꝓ eodē in iudicio legiti
me īteruenientē. Et dic̄ q̄ licet p̄fato A. vigo
re grē aplice eidē de canonicatu ſub expecta:
tione p̄bēde ī eccl'ia ſancte marie p̄dicte ī ſpe:
ciali facte canonicat⁹ ⁊ p̄bēda ꝑ mortem q̄n:
dam C. eiuſdē eccl'ie dū vixit canonici p̄ben:
dati tūc vacantis ꝑ certū executorē ad h a ſe:
de aplica ſpēalit̄ deputatū fuerint ⁊ ſint colla
ti. ⁊ ſibi de eiſdē ſit ꝓuiſū. Ac ipe A. ad cano:
nicatū ac p̄bendā hmōi ꝑ eundē executorē ī:
ueſtit⁹ exiſtat. ſic q̄ idē canonicat⁹ ⁊ p̄benda
cū iurib⁹ ⁊ ꝑtinētijs ſuis vniuerſis ꝑtineant
⁊ ꝑtinere debeāt ad eundē. Tn̄ p̄fatus B. ad
eoſdē canonicatū ⁊ p̄bendā ſe ītruſit d̄ facto
⁊ intrudi fecit ⁊ ꝓcurauit. ac intruſionē de ſe
factā ratā habēdo p̄dictos canonicatū ⁊ pre
bendaꝫ detinuit ⁊ occupauit. detinet ⁊ occu:
pat fruct⁹ reddit⁹ ⁊ ꝓuent⁹. iura ⁊ obuētion̄.
prouenien̄. ex eiſdē ꝑcepit ⁊ inburſauit. ꝑcipit
⁊ inburſat. Seqꝫ p̄fato A. oppoſuit ⁊ opponit
ac eū impedit ⁊ īpediuit. fecitqꝫ ⁊ facit ꝑ ītru:
ſionē occupationē ⁊ alia ſupradicta q̄ min⁹
ipe A. canonicat⁹ ⁊ p̄bende hmōi ac iuriuꝫ
ac ꝑtinētiaꝝ earūdē poſſeſſionē ſeu q̄ſi aſſeq̄
poſſit. ⁊ habere aīe ſue ꝑiculū. ⁊ p̄dicti A p̄iu
diciū ⁊ detrimētū. Quare agit ⁊ petit ꝓcura
tor q̄ ſupra noīe ꝓcuratorio q̄ten⁹ vos domi
ne auditor ſeu iudex reuerende p̄cognito q̄n
tū ſufficit de p̄miſſis ꝓnūcietis decernatis et
declaretis canonicatū ⁊ p̄bendā p̄dictos ad
memoratū A. pertinuiſſe de iure pertinere. ⁊
eos eidē A. adiudicandū fore. ac adiudicari
debere ⁊ adiudicetis. Intruſioneqꝫ detētioꝫ
occupationē ⁊ alia p̄miſſa temeraria illicita
⁊ iniuſta fuiſſe ⁊ eē. Et p̄dictū B. occupatorē
ab occupatōne. impedimētis ⁊ alijs p̄dictis
cōpeſcendū ⁊ cōpeſcatis ſibi de p̄fatis ſilētiū
imponēdū ⁊ īponatis ſuꝑ eiſdē ⁊ canonica:
tu ⁊ p̄benda. ⁊ eoꝝ detētione eū remouēdū ⁊
remoueatis Predictūqꝫ A. ī poſſeſſionē ſeu
q̄ſi eorūdē canonicat⁹ ⁊ p̄bende. iuriūqꝫ ⁊ ꝑti
nentiaꝝ ipaꝝ inducēdū ⁊ inductū defenden
dū. atqꝫ inducatis ⁊ defendatis. ſeu induci et
defendi p̄cipiatis. ipm B. p̄dicto A. in fructi
bus ꝑceptis ⁊ expenſis litis legitimis nihilo:
min⁹ ꝯdēnando ꝑ veſtrā diffinitiuā ſnīaꝫ et
ei⁹ executionē. Hec petit ꝯiūctim ⁊ diuiſim.
ad neceſſariā ꝓbationē ſolū ſe aſtringēs. offi
cium veſtꝝ in p̄miſſis oib⁹ ⁊ ſingulis q̄ntuꝫ
op⁹ fuerit hūiliter iplorādo. ſaluo iure corri:
gēdi addēdi minuēdi ⁊c. vt eſt moris

Iſte libell⁹ ꝓcedit q̄n agēti bn̄ficiū iā eſt col:
latū. ita q̄ eſt ſuū ⁊ hꝫ ius in re. Si v̄o nōduꝫ
eſſet ſibi collatū vel de eo vl' de ea ꝓuiſum. ſed
ꝯferendū ita q̄ nō eſſet ſuū ſꝫ ſibi debitū eſſet
ius ad rē. de q̄ de reſcrip. auditor. in cle. ī glo.
ſi ꝓnūciaret. Tūc ſm̄ ħ deberet mutari libel
lus. ſ. narrādo quō bn̄ficiū tale de tali cā ſibi
eſſet debitū. Et petēdo id ſibi debitū ⁊ ꝯferen:
dū ꝓnūciari. ⁊ tūc auditor q̄ pronūciat illud
ei debitū p̄t ſibi ſine nouo mādato d̄ illo pro:
uidere vt circuit⁹ euitet̄. vt ī cle. alle. c. auditor
de reſcrip. Vl' etiā dꝫ fieri mutatio libelli ſm̄
q̄ntitatē facti. Et pl'es libelloꝝ formas ponit
hoſtien. in ſpe. de p̄ben.

## Si beneficiū eſt de iurepatronatus. tūc benef ciat⁹ ſic formet libellū ſuū

Corā vob ⁊c. Et dicit q̄ licet A. p̄dict⁹ ad ec:
cleſiā vel vicariā talē ꝑ mortē q̄ndā C. vl't. re
ctoris eiuſdē vacātis ꝑ B. clericū vl' laicū ipi
us eccl'ie vl' vicarie veꝝ patronū et in iurepa:
tronat⁹ eccl'ie vel vicarie eiuſdē in poſſeſſione
vel q̄ſi exiſtētē. ac ꝑ tali habitū cōi iure et de:
putatū vob dn̄o p̄poſito vl' archidyac. vl' offi
ci. infra tp̄s debitū q̄drimeſtre p̄ntat⁹ exiſtat
Ad inueſtiēdū eū p̄dict⁹ B. p̄ſentatoi hmōi
facte. et īueſtiture faciēde ſe oppoſuit et oppo
nit temere. īpediuit et impedit friuole. ac fecit
et facit min⁹ iuſte Quo min⁹ p̄ſentatō predi
cta ꝑ vos admiſſa fuerit ſuuꝫ debitū ſortita.

atq; ſortiat̃ effectum. Agit igit̃ ⁊ petit ꝓcura
tor p̄dict⁹ noīe quo s̄. ꝙ ꝓcognito q̄ntū ſuffi-
cit de p̄miſſis ꝓnūciari decerni ⁊ declarari p̄
ſentationē de p̄fato A. vt p̄fert̃ fuiſſe factam
eſſe admittēdā ⁊ admitti. ip̄mq; A. ad eccliā
vel vicariā p̄dictā inſtituendū ⁊ inueſtiēdū
fore inſtitui ⁊ inueſtiri. Ac in corꝑalē ac realē
ipſi⁹ ecclie ſeu vicarie. iuriūq; ⁊ ꝑtinētiarum
eiuſdē poſſeſſiōis vel q̄ſi inducēdū ⁊ induci.
p̄dictoq; B. aduerſario ſuꝑ oppoſitiōe ⁊ impe
dimētis ad eccliam ſeu vicariā talē ꝑpetuū ſi
lentiū imponēdū ⁊ imponi. Et ab ipſis impe
dimētis ab oppoſitiōe eſſe cōpeſcendū ac cō-
peſci veſtra ſnīa diffinitiua ⁊ cēſura eccleſia-
ſtica mediāte. Hec petit cōiūctim et diuiſim
vna cū expēſis litis ⁊c. ¶ Iſta petitio colligit̃
ex no. ꝑ Jn. in. c. cū Bertold⁹. de re iudi. Et q̄
dam addūt in libello. Peto p̄ſentationē me-
am admitti. ⁊ p̄ſentatōnē aduerſarij ꝑ nō pa
tronū ⁊ eū q̄ nullū ius p̄ntandi hʒ factaʒ caſ-
ſari ⁊c. De q̄ in alle. c. cū bertold⁹. Sʒ non eſt
curandū. Et ſi aduerſari⁹ p̄ntat⁹ a nō patro
no iā eſſet inſtitutus ſm̄ Bald̃ formaret peti
tio iſto mō. Peto talē a non patrono nec iu
repatronatus poſſeſſore p̄ntatū ⁊ male inſti
tutū ab illo bn̄ficio amoueri ⁊ meā p̄ntatiōʒ
a vō patrono factā admitti ip̄m bn̄ficiuʒ mi
bi adiudicari ⁊ me ad illud inſtitui ⁊ inueſti
ri ⁊c. vt in. c. cuʒ bertold⁹. ſupra alle. Et ſi forte
p̄ntator in veritate nō eſt patron⁹ ſed ſolum
poſſidet iuſpatronat⁹ cū bona fide. tūc p̄ſen-
tatus nō dicat in libello ip̄m eſſe patronū. ſʒ
ip̄m fuiſſe tp̄e p̄ntatōnis ⁊ eſſe in poſſeſſione
vel quaſi iuriſpatronat⁹. ⁊ ſuffecit. vt in. c. cō
ſultationib⁹. de iurepatronat⁹ ⁊c. de q̄ etiam
no. in. c. ij. de reſti. in integ. cū ſimilib⁹. Cum
aūt de iurepatronat⁹ agit̃ inter patronoſ. q̄
liter tūc cōcipiat̃ libell⁹ ponit Guil. in ſpe. de
iurepatronat⁹. Et p̄t ſic formari

## ¶ Libellus quādo agitur de iurepatronatus inter patronos

Corā vobis ⁊c. ꝓponit cōquerēdo in iure ꝓ-
curator noīe ꝓcuratorio diſcreti viri A. laici
aduerſum B. laicū. Et dicit ꝙ licet iuſpatro-
nat⁹ talis ecclie vel vicarie ad p̄dictū A. ꝑti-
neat ⁊ ꝑtinere debeat de iure. Jpſeq; A. fue-
rit ipe ſpoliatiōis infraſcripte in poſſeſſione.
vl' quaſi iuriſpatronat⁹ ecclie vl' vicarie eiuſ
dem. Tn̄ p̄dict⁹ B. die anno ⁊ mēſe tali quē-
dā B. ad eccliam ſeu vicariā p̄dictā tunc cer
to modo vacantē vobis p̄ntauit. ip̄m a poſ-
ſeſſione vl' quaſi iuriſpatronat⁹ p̄dicti ſpoli
ando. Quare agit ⁊ petit ꝓcurator p̄dict⁹. q̄
ten⁹ vos dn̄e iudex ꝓcognitis q̄ntū ſufficit d̄
premiſſis ꝓnūcietis decernatis ⁊ declaretis
iuſpatronat⁹ ecclie vl' vicarie p̄dicte ad p̄fa
tū A. ꝑtinuiſſe ⁊ ꝑtinere. p̄ntationēq; ⁊ ſpoli
ationē p̄dictas ⁊ temerarias ⁊ illicitas iniu-
ſtas eſſe ⁊ fuiſſe. ac eundē A. in p̄ſtinū ſtatuʒ
poſſeſſionē ſeu q̄ſi eiuſdē iuris reponēduʒ re
ſtituendū ⁊ reducendū fore. reſtitui reponi ⁊
reduci debere. Reſtituatiſq; reponatis et re-
ducatis ꝑ veſtrā diffinitiuā ſnīam. Et p̄ iſtū
libellū intentat̃ poſſeſſoriū ⁊ petitoriū. Poſ-
ſet etiā alterʒ tantū intētari. vt dictū eſt in alio
ꝓceſſu circa formas libellorū. Et iſta cauſa
ſuꝑ iurepatronat⁹ nō eſt bn̄ficialis. cuʒ de ti
tulo bn̄ficiali nō agat̃. Vn̄ in ea ꝓcedendū ē
ordine iudiciario obſeruato. Et ſuꝑ p̄mo li-
bello poſſunt ſic formari poſitiōes ⁊ articuli
vt in poſtib⁹ formis ¶ In p̄mis ponit ⁊ ꝓba
re intēdit ꝙ in dyoc. Magunt. in terra thuri
giorꝫ fuit ante. x. xx. xxx. vel. xl. annos citra vl'
vltra. ⁊ a tp̄e de quo vl' de cui⁹ initio ſiue con
trario memoria hoīm nō exiſtit. fuit ⁊ eſt q̄d
dam opidū vocatū cōiter opiduʒ Erfordeñ.
hn̄s diuerſas eccliās collegiatas ⁊ ꝓchia-
les. ac al's palā ⁊ notorie. Jtē ꝙ in eodeʒ opi-
do Erford. inter alias eccliās ibidē fuit a pre
dicto tp̄e ⁊ ꝑ idē tp̄s. ⁊ eſt etiā collegiata eccle
ſia beate marie v̓ginis ab Erford. cōiter ap-
pellata. hn̄s ꝓpoſitū decanū ⁊ capituluʒ. cer-
tas ac diſtinctas p̄bendas ac iura alia ecclie
collegiate publice ac manifeſte. Jtē ꝙ de pre
miſſis ⁊ ſignāter oīb⁹ fuit ⁊ eſt publica vox
⁊ fama. Jtē ponit ⁊ ꝓbare intēdit ꝙ ſanctiſſi
mus in xp̄o pat̃ ⁊ dn̄s noſter Jnno. diuina
ꝓuidētia papa modern⁹ p̄dicto A. grām fa-
ciēdo ſpecialē die tali. mēſe tali. canonicatuʒ
in ecclia p̄dicta p̄dicto M. ꝯtulit. ⁊ ip̄m ꝑ de-
canū ⁊ capitulū recipi mādauit i canonicuʒ
et fratrē. ſtalluq; in choro ⁊ locū in capitulo
cū iuris canonici plenitudine eidē aſſignari
Jtē ꝙ p̄bēda ſi q̄ tūc vacaret vl' quā i poſterꝫ

vacare ↄtingeret eccl'ia in eadē.eā ꝑdict⁹.A.
infra mēſis ſpaciū vni⁹ acceptaret.ꝑdictus
dn̄s noſter papa eidē A.cū oīb⁹ iurib⁹ ⁊ ptī/
nēcijs ſuis vniuerſis ↄferre ⁊ de ea ſibi ꝓuide
ri.ac ipm̄ ad eandē in ipſi⁹ q₃ ac iuriū ꝑtinē/
tiaꝝq₃ poſſeſſiōꝫ eiuſdē vel q̄ſi inueſtiri ⁊ īdu
ci.inductū q₃ tueri ⁊ defendi voluit ⁊ manda
uit. Itē q̄ꝫ idē dn̄s noſter papa ad collatiōeꝫ
ꝓuiſionē ⁊ inueſtiturā.⁊ al's ꝑdicte grē debi/
tam ⁊ effectualē executionē faciendū certuꝫ v'
certos executores deputauit. Itē q̄ꝫ memora
tus A.grām ꝑdictā ſibi vt ꝑmittit factā ratā
bn̄s ⁊ gratā ſup eū lr̄as in forma cōſueta ex/
trahi.⁊ ꝓceſſus ꝑ executorē fieri procurauit
Itē q̄ꝫ de ꝑmiſſis oīb⁹ ⁊ ſingulis fuit ⁊ ē pu/
blica vox ⁊ fama. Itē ponit ⁊ ꝓbare intendit
q̄ꝫ die anno dn̄i. M.cccclxxvij.die tali.menſe
tali.⁊ an̄ Q₃. N.fuit canonic⁹ ⁊ ꝑdicte eccle
beate marie certos ꝓbēdatus ⁊ certos cano/
nicatū ⁊ ꝓbendā in eadē eccl'ia habuit ⁊ poſ/
ſedit. Itē q̄ꝫ idē. N.canonic⁹ anno ⁊ mēſe pre
dictis.die tali diē ſuū extra romanā curiam
clauſit extremū. Quodq₃ ꝑ ipſi⁹ obitū cano
nicat⁹ ⁊ ꝓbenda ꝑdicti q̄s in ꝑfata eccl'ia ob/
tinebat vacare inceperūt ⁊ vacauerunt.⁊ va
care cōiter reputabant̄ palam ⁊ manifeſte
Itē q̄ꝫ ꝑdict⁹ N.vel talis ei⁹ ꝓcurator predi/
ctos canonicatū ⁊ ꝓbendā ſic vacātes tanq̄₃
gratie ꝑdicte vigore ſibi ⁊ nulli alteri de iure
debitos.die tali.mēſe tali.ꝑdictis cū preſtati/
one ↄſueta acceptauit. Itē q̄ꝫ ꝑ talē ꝑdicte g̃/
tie executorē A.ꝑdict⁹ canonicatū ⁊ ꝓbendā
ſibi cōferri de eiſdē ꝓuideri.ac ſe in ipſorū iu/
rium ⁊ ꝑtinētiaꝝ in earundē poſſeſſionē ſeu
quaſi inueſtiri obtinuit tali die Itē q̄ꝫ de pre
miſſis oīb⁹ ⁊ ſingulis fuit ⁊ eſt publica vox ⁊
fama Itē ponit q̄ꝫ A.ꝑdict⁹ tpe grē ſibi facte
ac collatiōe ꝓuiſionis ⁊ inueſtiture ꝑdictaꝝ
fuit ⁊ eſt cleric⁹ vel ſacerdos ⁊c.in cōmuniōe
fidelium de legitimo matrimonio ꝓcreat⁹. Et
al's abilis ⁊ idone⁹ ad eccleſiaſticū bn̄ficiuꝫ
maxime canonicatū ⁊ ꝓbendā ſupradictos
obtinendū. Itē q̄ꝫ B.aduerſari⁹ an̄dict⁹ ad
ꝑdictos canonicatū ⁊ ꝓbēdā poſt ꝑdicti q̄n/
dam N.mortē ſe intruſit ſeu intrudi fecit ⁊ ꝓ
curauit.ipſoſq₃ canonicatū ⁊ ꝓbēdā detinu/
it ⁊ occupauit.detinet ⁊ occupat fruct⁹ reddi
tus ⁊ ꝓuent⁹ ex eiſdē ꝓuenietes ꝑcipit ⁊ ꝑce/
pit.inburſauit ⁊ inburſat.ac ꝑfatū impedit ⁊
impediuit.fecitq₃ ⁊ facit ꝑ intruſionem occu
pationē ⁊ alia ꝑdicta quo min⁹ gratia colla
tio ꝓuiſio ⁊ inueſtitura.⁊ alia ꝑmiſſa ſuū de
bitū ſortiri poterint ⁊ ſortiant̄ effectū. Et ꝑdi/
ctus A.poſſeſſionē ſeu quaſi poſſeſſionē ca/
nonicat⁹ ⁊ ꝓbende ꝑdictoꝝ aſſequi poſſꝫ libe
re ⁊ habere. Dat inſup libellū ꝑ pte ſua obla
tum.ac ꝓducta ⁊ ꝓducēda ī hac cauſa inq̄n/
tum faciūt ꝑ pte ſua ꝓpoſitionib⁹ ⁊ articulis
⁊c. Ac etiā denotatū ſignis ⁊ ſigillis ſaluo iu
re addendi corrigēdi ſupplendi declarandi ⁊c.
vt moris eſt ⁊ ſtili.

Qn̄ bn̄ficiū eſt de iurepatronat⁹ tūc ex li
bello ſeu petitiōe formant̄ poſitiōes ⁊ articu/
li in hūc modū. Poſitiōes ⁊ articulos vt.ſ.
in alijs. In p̄mis ponit ⁊ ꝓbare intēdit q̄ꝫ in
opido Erford. Magunt̄. dyoc̄.a.x.xx.xxx.vl'
xl.annis citra vel vltra.⁊ a tpe ⁊ ꝑ tpꝫ d' cui⁹
ↄtrario ſeu initio nō eſt memoria hoīm. fuit
⁊ eſt certa eccl'ia parrochial' appellata cōmu/
niter ſancti Pauli Erforden̄. Quodq₃ ī ea/
dē eccl'ia fuerūt ⁊ ſunt certe vicarie ꝑpetue a
ſecularib⁹ clericis ſolite gubernari. Itē q̄ꝫ in
ter alias vicarias ꝑpetuas in eadē eccl'ia exi/
ſtētes fuit a tpe ⁊ ꝑ temp⁹.de q̊ ſupra.⁊ eſt cer
ta vicaria ad altare ſancti talis palā ⁊ noto
rie. Itē q̄ꝫ vicaria hm̄ōi ꝑpetua ꝑ talē laicuꝫ
inſtaurata eſt ⁊ fundata ac de bonis ſuis do
tata ⁊ ꝑ loci dyoceſanū ↄfirmata. Itē q̄ꝫ iuſ/
patronat⁹ vicarie eiuſdē eidē inſtauratori ⁊
ſuis heredib⁹ ſeruatū exiſtit ac ꝑtinuit ⁊ ꝑti/
net ad eoſdē. Itē q̄ꝫ de ꝑmiſſis oīb⁹ ⁊ ſingul'
fuit ⁊ eſt publica vox ⁊ fama. Itē ponit q̄ꝫ ſu
pradict⁹ N.fuit ꝑfati q̄ndā inſtauratoris fi
lius legitim⁹ ⁊ naturalis. Eidēq₃ patri ſuo ī
bonis ꝑ eū relictis ⁊ maxime in iurepatrona
tus ꝑdicte vicarie inſolidū heres ſucceſſit.ac
hereditas paterna cū iure ꝑdicto fuit ⁊ eſt ad
eū tanq̄₃ veꝝ heredē ⁊ ꝓximū deuoluta. Itē
q̄ꝫ idē N.fili⁹ ⁊ heres q̄ndā B.ꝑdicte vicarie
vicariū ad eandē vicariā tūc certo modo va
cantē vobis dn̄o officiali ꝑn̄tauit.quodq₃ ea
dem ꝑn̄tatio ꝑ vos admiſſa fuit.⁊ idē quon/
dā ꝑſentat⁹ ad ꝑſentationē eandē ad ꝑdictaꝫ
vicariā inſtitut⁹ eā tenuit ⁊ pacifice poſſedit

